



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. Rationes partis negantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

fecisse, in quo paritas est, cum præceptis, etiam in simili materiâ, faciendis. Addo, in voto duo distingui posse, (sicut in simili dictum de iuramento) *Primo*, ipsa præcisè obligatio rei maioris. *Secundo* obligatio, ut non possit non facere. Primum illud est primum in voto, possetque dici, quod habeat effectum etiam respectu eorum, quæ non poterat non facere Christus. Secundum autem est secundarium, & frustraneum in Christo: quia si obligaretur voto, siue non, impossibile illi hoc erat factum, si fuit materia, quam ceteroqui non posset non facere Christus.

5. ARGUMENTUM. Quia oppositi supponunt, præfinitionem divinam absolutam, operationum Christi Domini, antecederet revelatam ipsi, ita obligare Christum, ut si per impossibile illi opponeretur, peccaret: quia sic conaretur frustrari voluntatem divinam.

RESPONDETUR. Cum præfinitiones illæ sine respectu eorum, quæ poterat Christus facere, & non facere, honestâ actione, antecederet ante præfinitionem: ideo adhuc datur & præfinitioni, & præcepto locus. Sed nego formatas præfinitiones, respectu eorum, quæ non poterat non facere; consequenter nego, respectu illorum, dari etiam potuisse præceptum.

Punctum Difficultatis 2.

Rationes Partis Negantis.

1. RATIO est ab Autoritate.

1. AUTHORITY est Chrysostomiti. 3. Homil. 59. *Qui à se ponit*, (supple actionem) *præcepto non indiget*. Item Homil. 75. *Nego enim, legislatorem legi subditum esse oportere*. Item: *præceptum* (inquit) *se à Patre accepisse dicens, nihil aliud ostendit, quam idem Patri videri, quod ipse facit*. Et post pauca, *Nihil autem aliud hoc in loco præceptum significat, quam cum Patre concordiam*. Idem habet Homil. 28. in Epist. ad Hebr.

RESPONDETUR. Prima autoritas ostendit, Christo non datum præceptum, nisi præsuppositâ obligatione illius voluntariâ. Secunda loquitur, de subditione legi latæ, non præconsultâ illius voluntatē, vel de subditione puris creaturis debitâ. Tertia ostendit, non fuisse illud præceptum latum, eo modo, quo nobis; sed præcisè multis, quæ non decerent dignitatem Christi. Quoad alterum, ostenditur libertas Christi, in illis præceptis servandis, quæ venit nomine concordie; sed non negatur, illam ipsam concordiam, Christo intimatam, potestate legislativâ, & reddente Christum obedientem.

2. AUTHORITY Nazian. orat. 4. *Perspicuum est utique, Patrem quidem, redemptionis præceptum accepisse, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit*.

RESPONDETUR. Nazianz. hoc loco significare, quod nulla fuerit Deo necessitas, aut indigentia, ut salvaret hominem; & quod ad hoc, sponte se suâ obtulit Christus; secundum dicta de libertate.

3. AUTHORITY Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 9.

RESPONDETUR. Illic non negari, quod illi præceperit mortem. Insuper autoritates hæc solvi possunt, vel de præcepto comminativo pœnæ, vel de præcepto ingenuis indebito, v. g. coactivo, ad quod propositum, affertur ille locus Anselmi ibidem. *Non ergo cogit Deus, Christum mori, in quo nullum fuit peccatum*.

2. RATIO est. Præceptum obligans in conscientia, est obligans sub peccato; at obligare sub peccato, non aliud est, quam obligare sub merito & dignitate pœnæ; dignitas autem pœnæ repugnat, cui pœna repugnat: ergo cum repugnat Christo præceptum comminativum, repugnat etiam directivum, obligans in conscientia.

RESPONDETUR. Negando minorem, cum enim definitivè peccatum non sit meritum & dignitas pœnæ, bene salvari potest obligatio sub peccato, sine illo merito, & dignitate pœnæ. Possit item Deus dispensare cum aliquo, de incurfu pœnæ ob peccatum; etiam antecederet, & non dispensare, ne peccet, quod multo magis procedit de istis, quæ nec dispensari à Deo possunt; & tamen circa meritum pœnæ, potest dispensatio, aut potius indulgentia divina intercedere.

INSTABIS 1. Poterat Christus absolute non mori; ergo non fuit illi injunctum præceptum obligans in conscientia, de subeunda morte. Antecedens probatur ex Joan. 10. v. 18. Matth. 27. v. 52.

RESPONDETUR. Distinguendo consequens. Ergo non fuit illi injunctum præceptum, moriendi, non præconsultâ libertate Christi. Concedo, præconsultâ, Nego.

INSTABIS 2. Nomine præcepti impositi Christo, non aliud intelligitur, quam beneplacitum Patris. Unde etiam Marci 4. v. 27. appellatur hoc consilium Dei, quod iudices Christi, decreverant fieri.

RESPONDETUR. Beneplacitum, non est actus legislativi, cum etiam pari & inferiori conveniat, habere complacentiam, cum affectu ut fiat; jam autem præceptum, involvit quidem, ut fiat, sed insuper obligationem, quia teneris, cum volo, nego; quod talis actus Dei non potuerit fieri circa actionem Christi. Quando autem decretum de morte appellatur consilium

* u 2 lium

lium, hunc sensum habet: quia ipse Deus, pro sua libertate, ut consuleret generi humano, & provideret, tale decretum de illius salute formavit.

INSTABIS 3. Christus, mandatum appellat, respectu sui, voluntatem Patris, etiam non obligantem in conscientia, ut habetur Joan. 12. *ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Ergo mandatum moriendi, non erat præceptum proprium, obligans in conscientia.

RESPONDETUR. Concedo quidem, quòd interdum mandatum sumatur pro consilio: quia scilicet ita affectus est is, qui illud exequitur, ac si mandato non ligaretur; sed nego exinde sequi, non posse talia verba intelligi, de mandato riguroso; eò, quòd in his quidem, secundum subjectam materiam, debeat id intelligi de materia consilii, alibi de materia præcepti. Deinde negant alii, etiam ea, quæ ponit antecedens, non fuisse Christo mandata.

3. RATIO est. Esparzæ. Comminatio legislativa, est voluntas inferendi aliquod malum, facienti aut omittenti, intimata potenti facere aut omittere, antequam faciat aut omittat; redditque talem actum, vel omissionem, intrinsecè impeditivam boni oppositi; quod impeditivum, si impediatur in æternum, erit peccatum mortale: si ad tempus, veniale. Nam peccatum mortale aut veniale, non aliud est, quàm impeditivum beatitudinis, vel æternum, vel ad tempus. Si verò malum inferendum non sit privatio beatitudinis, eo ipso non redditur illicitus, & peccaminosus, ille actus; quia nullum est peccatum, ubi nulla est oppositio cum beatitudine & ultimo fine, repugnat ergo Christo, culpæ & pænæ comminatio: quia repugnat metaphysicè, dari in Deo voluntatem negandi Christo beatitudinem, per æternitatem, aut ad tempus; repugnat etiam metaphysicè, Christum peccare; peccaret verò, si eliceret v. g. vel omitteret talem actum: imò & vellet & nollet eandem rem, sub eadem conditione; quia de ratione conditionis impossibilis est, ut eo ipso quòd existat, verificetur eam non existere; consequenter, repugnabit dari comminationem culpæ & pænæ, si quidem hæc comminatio per ejusmodi voluntatem constituitur.

RESPONDETUR. Imprimis, extractio alicujus materiæ, ex actu licito ad illicitum, non fit formaliter istà comminatione, sed hæc est consequens: cur ergo, respectu Christi, haberi non potuit talis extractio, & quidem per potestatem præceptivam, adeoque legislativam? Et sicut peccatum non stat formaliter debito incurrendi damnum: quia hoc debitum sequitur ad peccatum; ita nec præceptum statuit hac comminatione, sed id est secundarius effectus legis. Deinde dici potest, comminationem istam tenere, respectu subjecti, cæteroqui potentis frangere illud, etiam supposito,

quòd ferebatur præceptum; adeoque id bene haberi in præceptis ordinariis, & per ordinem ad nos; per ordinem autem ad Christum, sufficit per vim legislativam, (quam dari respectu Christi non repugnat) extrahi materiam aliquam, de cætero qui licita in illicitam. Rursus, non repugnat etiam, sub conditione, comminationem illam Christo fieri: comminationem, inquam quæ sit conditionata etiam ex parte actus (quia de absoluta ex parte actus infra dicitur.) Sed hæc comminatio erit cum addito, non erit autem comminatio absoluta, cum sit impossibile, ut id non faciat Christus, quod præcipitur. Et sicut licet metaphysicè repugnat Christum peccare; bene tamen ponimus, si mentiretur, peccaret, sed impossibile est illi mentiri; ita dicere possumus, quòd dicat Deus, si hoc faceret Christus, careret beatitudine, sed impossibile est, ut velit hoc facere, datoque illo præcepto, eandem rem velle sub conditione, & nolle absolute, non erit contradictorium: vellet enim non dare beatitudinem, si peccaret; nollet autem absolute negare, utpote sciens non peccaturum. Et sicut scientiæ, prælucentes illis actibus voluntatis: sunt diversæ: nam prior illi præluceat scientia conditionata, posteriori absoluta: nec se hæc scientiæ tollunt; ita & voluntates illæ sunt diversæ, nec se tollunt.

INSTATI. Cui repugnat timor alicujus mali, illi non potest prudenter fieri comminatio timendi mali: quia fructus comminationis, per se, est timor; repugnat autem Christo timor mali culpæ & pænæ, ut docet S. Thomas. Quia videlicet, timor est de malo possibili evenire timenti; impossibile autem est Christo, ut incidat in peccatum, adeoque puniatur pro peccato.

RESPONDETUR. Imprimis, concedendo totum. Dicit etiam Aldrete, quòd non datur præcepta respectu Christi comminativa; sed inde non sequitur, quòd non possit voluntate divinâ, profectâ ab ejus jurisdictione, extrahi aliqua actio, ad rationem jam cæteroqui peccaminosâ futurâ.

INSTAT 2. Repugnat Deum promittere alicui, bonum ipsi impossibile, aut quod est secundum se possibile, sub conditione impossibili: ergo repugnat Deum alicui comminari malum, ipsi impossibile: quale est respectu Christi peccatum, & punitio.

RESPONDETUR. Imprimis, concedendo totum; repugnante tamen comminatione, non repugnat extractio materiæ, de non peccaminosâ hîc & nunc, ad peccaminosâ: consequenter nec repugnabit præceptum.

INSTAT 3. ab Autoritate ad Galat. 4. v. 4. *Misit Deus, Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Ubi ly *sub*, notat exhibitionem operum, quæ sub lege continentur; non notat autem incussionem timoris, & comminationem.

nem. Et S. Thomas, charitati tribuit, quod Christus pro nobis mortem subierit; negat autem vim coactivam. Ibidem §. v. 18. dicitur. *Si spiritus ducimini, non estis sub lege.* Et 1. ad Hebr. 1. v. 9. *Iusto non est lex posita.* Quorum sensus est; quod iustus non operatur ex timore poenae, cuius comminatio, est distinctiva legis, à consiliis; sed operatur ex adhaerentia charitatis, ad voluntatem divinam.

RESPONDETUR. Imprimis, concedendo totum: quia procedit de exclusionem comminationis, per ordinem ad Christum, sed negatur, à consiliis, solà hac comminatione, distinguere praeceptum, de quo infra. Deinde possumus hæc intelligi, de exclusionem comminationis absolutæ, non conditionatæ. Rursus non inde sequitur, non extraxisse Deum aliqua, ex hinc & nunc licet ponibilibus, ad non ponibilia licet. Quod autem mortem charitati tribuat S. Thomas: hoc significat, quod etiam ad obedientiam, praecepto moriendi, ultimo se resolverit Christus, affectu charitatis erga nos. Item ostenditur, non latum praeceptum Christo, non praeconsultà illius libertate & voluntate, ex charitate se offerentis ad mortem.

4. RATIO ejusdem est. Non congruebat, nec decebat, ut Filius Dei naturalis, intrinsicè determinatus, ut nihil inhonestum ageret, eo legum genere premeretur, quæ imponuntur peccatoribus, aut filiis adoptivis, potentibus filiationi illi renuntiare, pro quo etiam citat S. Thomam, & sicut non praecepta incarnatio, ita nec praecepta mors.

RESPONDETUR. Concedo hoc totum. Sed nego, non decere, ut per vim legislativam, posset extrahi aliqua actio, ex ponibili licet hinc & nunc, ad non ponibilem licet, de quo in præsentia disquiritur. Addo, absurdum ipsum urgere, ne dicatur Christo esse praecepta incarnatio: quia hoc ipso inferretur superioritas unius personæ in aliam; jam autem hoc absurdum non inferretur, si ponatur praeceptum obligativum naturæ assumptæ, & per communicationem idiomatum, personæ: ex quo nulla sequitur in personam qualitas; præcipue autem, quia locutiones sacræ, de praecepto innuunt, quas simpliciter accipi nihil vetat.

5. RATIO. Voluntas Dei, præcipue circa mortem Christi, non erat purè insinuativa maioris perfectionis, sed insuper fuit onerosa, & comminativa alicujus mali, si nollet mori; non enim contulisset illi salutem nostram, si nolisset pati; voluntas autem præcipiens subdito opus, non præcisè ut melius, sed cum comminatione mali infligendi, praeceptum appellatur tamen si nullam inducat obligationem; talesque sunt leges purè poenales.

RESPONDETUR. Concedo, sic sumi posse praeceptum; sed quærere restat: cur non sit Christi

stus capax præcepti, vi cuius, id quod erat ponibile hinc & nunc, licet à actione, extrahatur ad non ponibile licet à actione: quod tamen venit propriissime nomine præcepti.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

PRÆMITTO 1. *Quando volumus investigare, an aliqua perfectio competat Deo? recurrimus ad hoc, ex sensu Theologico: an seclusis imperfectionibus, & remanente proprio conceptu illius predicati, possit adhuc tribui Deo?* Cujus ratio est: quia unaquæque res habet sua essentialia constitutiva. Hinc constitutivis illis relictis, demptis autem reliquis, manebit adhuc integra rei perfectio. Et ita, si auferas ab igne calorem, manere adhuc potest forma ignis; licet in illa sit radix exigentia caloris. Porro sequentia, & quæ præscindi possunt, salvâ rei perfectione, seu constitutivis ejusdem, in triplici sunt ordine. Velenim sequuntur physicè, & sunt passionis, aut accidentia distincta realiter, ut calor ab igne; vel sunt sequentia non nisi metaphysicè: & tales sequelæ prædicatorum, cum sint idem realiter cum essentialibus, (hoc ipso enim non essent solum sequentes metaphysicè) ideo sunt tales, ut illis ablatis, non sit perfectio futura eadem realiter. Et sicut, si auferantur essentialia, non esset idem: quodlibet enim est, aut non est; ita & ablatis quæ identificantur, non erit res eadem realiter. Quia tamen salvari in illis dicitur ratio sequelæ metaphysicæ, & accidentis intentionalis; ideo, in ordine ad nostras intentiones, poterit adhuc sine illis salvari essentia. Ratio est: quia nostræ intentiones, pro statu præcisionis, non attendunt ad identificationem realem. Et ita seclusâ per rationem risibilitate, manet adhuc essentia metaphysica hominis, licet non maneat realiter homo. Denique quædam sunt, quæ interdum sequuntur se, & connectunt se secum, in uno actu; ita tamen, ut aliâ in simili actu non necitentur. Et ita, si actus fiat ex duobus motivis, necitentur illa motiva inter se, in eodem actu; necitentur tamen ita, ut interdum in alia intentione separentur.

Applico hæc ad præsens. Inquirendo, an praeceptum & lex, respectu Christi, rigorosa dari potuerit? investigandum, est, an tota essentia præcepti, respectu Christi, salvari possit? licet non ponantur ea, quæ cæteroquin aliquo uno præcipiendi actu connectuntur secum; sed ita, ut se per modum sequentium habeant; & sine quibus essentia præcepti salvari possit.

PRÆMITTO 2. *Quid sit Lex, Præceptum, Mandatum, Consilium?* Lex potius ligat & ordi-